

nem rationem contradicit. Ego nego iniquum esse cum recta ratione contradicere seu Theologorum seu Iuristarum etiam gravissimorum argumentis. Nullus enim ex gravissimis etiam Theologis & Doctoribus non elato ingenio præditis tantum sibi arrogat autoritatis, non enim ignorant se non infallibiles, ut sibi & argumentis suis cum recta ratione contradicere nefas ducant. Si adsertio hoc putat, cur gravissimis Theologis & Iuristis contradicit, maximè nulla ratione?

48. Alterum adsertionis argumentum est tale:

Quicumq; autumat ex Levit. d. vers. 14. non posse colligi prohibitionem uxoris sororis, is incidit in hoc absurdum, quod idem factum, five eandem proximitatem Deus in Levitico simul concesserit & non concesserit.

Atqui adsertio Responsi juris id autumat. Ergo.

Respondeo majorem fallere pluribus interrogationibus, & ad illos disputantes pertinere, qui fallaciis uti gestiunt. Separandæ itaq; sunt plures illæ interrogationes, & quæq; earum separata suæ propositioni includenda. Prior hæc est: Qui autumat ex Levit. d. vers. 14. non posse colligi prohibitionem uxoris sororis, is concedit, quod eandem proximitatem Deus in Levitico simul concesserit & non concesserit.

Concedo hanc majorem, exindeq; surgentem conclusionem: Quia nulla ratio prohibet, quò minus matrimonium in eadem propinquitate & concedi & prohiberi possit lege positiva. Nimirum concedi, ubi nullus est in tali proximitate respectus parentum & liberorum, ascendentium & descendentium: prohiberi, ubi talis adest respectus. Cur Mosei licitum non fuerit in uno eodemq; propinquitatis casu prohibere fratris cum liberis defuncti uxorem; & jubere, nedum concedere fratris sine liberis defuncti viduam? Cur Mosen non docuerit, prohibere uxoris viventis sororem ob angustiam uxoris declinandam: Et concedere non prohibendo uxoris defunctæ sororem ob cessantem illam uxoris angustiam?

49. Posterior propositio hæc est:

Qui negat ex d. vers. 14. inferri posse prohibitionem defunctæ uxoris sororis, is incidit in absurdum.

Nego hanc propositionem. Nec enim statim verè absurdum est, quod adsertio illa putat esse absurdum, si non probat istam qualitatem. Dicat Mosen esse absurdum, qui in eodem propinquitatis casu & prohibet

hibet